



D E

S. CÆSAREÆ MAJ. ET IMPERII
JUDICIO AULICO

Vom

Kayserslichen Reichs Hoff-Rath
Exercitatio.

I.

Judiciorum in omni Republica summa est & inevitabilis necessitas. Rectè Pomponius *l. 2. §. 13. ff. de O. I. quantum est enim, ait, Jus in Civitate esse, nisi sint, qui Juraregere possint*: adde *Novell. 161. in princ.* Ebræorum Jctis etiam inter septem illa præcepta, quibus non Israelitas solùm, sed orbem universum obstrictum existimant, quæque ipsis Jus mundi, & præcepta Filiorum Noachi appellantur, sextum est *de Judiciis*, Menasseh Ben Israël in *Conciliatore cap. 7.* Seldenus *de Synedriis veterum Ebræorum lib. 1. cap. 2. & de jure Natura & Gentium lib. 1. cap. 10. & passim.*

II. Non defuerunt quoque Germanis nostris sua jam indè ab antiquissimis temporibus judicia; quamvis eorùm non eadem semper, sed multum diversâ ab invicem pro Imperii & temporum ratione fuerit facies. Quam rem cum prolixè & doctè explicent jam Clarissimi viri, Christophorus Lehmannus in *Chronico Spirensi lib. 2.* & Hermannus Conringius *Dissertatione de Germanici Imperii Judiciis*, nihil causæ est, cur ipsis jam pridem observata describamus: & vix est ut ex antiquitate addi aliquid possit, quod paulo majoris momenti videatur, ad eorum diligentiam. Hodie præcipua Germaniæ Judicia, unde controversiarum illustrium fata pendent, sunt tria, Judicium

Au-